

sic CYR. ALEX. L. 8. Thes. (opp. l. 3. p. 61. B.) ait: *Si voluntas Dei substantia sit, et per se subsistat, quomodo Filius unigenitus erit, cum sit tertius a Patre? præcedit enim eum voluntas talis secundum vos*; HILAR. L. de Syn. n. 64. *Confitemur sane in Spiritus sancti dono..... non unum subsistentem, sed substantiam non differentem*; DAMASC. in ep. de Trisagio (opp. p. 725. D. ed. Billii, Paris. 1619.): *Particularia non communicantur; communia autem ab unoquoque particularium participantur, sed unice et communiter: non est autem ipsorum communis una hypostasis; Deitas autem communiter est trium hypostasium una existens*; SOPHRON. in ep. nuper laudata (Labb. t. 6. p. 857. C.) scribit. *Neque secundum quod Trinitas unus Deus est, et agnoscitur, et subsistentiæ tres pronuntiantur, et tres obsecrantur Personæ... dicitur coarctatus, sive compositus, vel confusus, et in unam seipsum colligens subsistentiam, in unamque coercens non numerandam Personam; ergo.*

2º. Iidem omnem subsistentiam volunt esse quid speciale, proprium, ac distinctum; sic NYSSEN. in Or. Catech. c. 1. (opp. t. 3. p. 47. D.) *Dei Verbum eo quidem, quod per se consistit, distinctum est ac divisum ab illo, ex quo habet quod consistat*; THEODORET. Dial. Immutabilis 1. (opp. t. 4. p. 4. D. 3. edit. Sirmondi): *Si Patrum doctrina spectetur, quam habet differentiam commune et proprium, vel genus et species ac individuum, eandem habet substantia et hypostasis.*

3º. Præter hypostases, personas et relationes non admiserunt Patres aliud in Deo, quam essentiam, naturam et substantiam. Sic CYR. ALEX. Dial. 3. de Trin. (opp. t. 5. p. 491. C.) inquit: *Omnis fidei nostræ sermo huc tendit, ut unam quidem videamus Deitatis naturam, quæ sit in tribus subsistentiis propriis*; SOPHRON. in ep. cit. *Trinitatem pro tribus subsistentiis, unitatem autem propter singularitatem Deitatis.* Cujus verba usurpavit THEODORUS HIEROS. in litteris synodic. infra citandis. In NICÆN. II. TARASIVS in Prof. fid. (Labb. t. 7. p. 163. B.) confitetur, *unam Deitatem in tribus subsistentiis indivisim discretam, et distinctim unitam*; et ibidem (p. 178. B.) THEODOR. Patr. Hierosol. in litteris scribit: *Trinitatem in tribus inconfusis subsistentiis, nec alium Deum unum, præter tres personas, cognoscimus etc.*

Prob. II. RATIONE. Effectus formalis subsistentiæ est reddere naturam ultimo completam, constituere suppositum, et facere illud incommunicabile alteri supposito: sed nihil istorum facit subsistentia illa absoluta. Nam 1º. naturam non complet ultimo; nam communicata ipsa Personis tribus ulterius per illas completeretur. 2º. Personam non constituit; cum quaternitas Personarum alias in Deo foret admittenda: 3º. non reddit naturam, etiam ut absolute subsistentem, incommunicabilem; quia sicut reliqua in Divinis absoluta, sic etiam hæc subsistentia foret communis Trinitati; ergo.

388. *Observa.* Haud meliora sunt argumenta, quæ a quibusdam pro absoluta in Deo subsistentia ex Traditione colliguntur. Eorum enim alia fundantur in lectione mendosa. Hujusmodi est illa pericopæ epistolæ AGATHONIS ad Legatos: *Confitemur non trium nominum subsistentiam, sed trium personarum unam subsistentiam*; rectius enim alia exemplaria, contextu hujus et collatione alterius epistolæ id exigente, habent unam substantiam. Item, dum in latina versione fragmenti epistolæ, quam LIBERIUS ad ATHAN. dedit, ponitur una substantia, interpret vocem hypostasis græcam exponere

deberat per subsistentiam, si ad sensum et usum hujus vocabuli attendisset. Denique dum ex BAS. hom. 27. recitatur: *Spiritus ex Deo promanans ejusdem cum illo subsistentiæ*; in proprio textus loco, qui est L. 5. cont. Eunom. sub finem legitur: *Verum ipse, (Spiritus) a Deo manans subsistit.*

Alia ortum habent ex ambigua significatione vocabuli. Sic enim unam tantum in Deo hypostasin statuerunt ATHAN., EPIPH., HIERON., Sardicensis et alii, dum necdum explorata fuerat significatio hujus vocis, ac singulariter applicata supposito; ipsi autem intelligebant ea voce essentiam, et hinc tres hypostases negabant. Sic rursus HILAR. L. 5. et 7. de Trin., BOET. L. de duab. Natur., ANASTASIVS PATR. in compend. fidei expositione Deitati tribuunt subsistentiam, usurpando hanc vocem pro existentia vel a se, vel per se seu substantia: similiter AUG. L. 7. de Trin. c. 4. et 5. Deum ad se ipsum subsistere dixit, non probando subsistentiam in Deo absolutam, sed unicam Deitatis substantiam, seu entitatem substantialem. Denique Concilii Rhemensis professio: *Credimus simpliciter naturam divinitatis esse Deum, nec aliquo sensu catholico posse negari, quin divinitas sit Deus, et Deus divinitas*; damnat errorem Gilberti, inter concreta et abstracta divina ante intellectus operam distinguentis; neutiquam vero per Deum intelligi absolutam subsistentiam indicat.

CAPUT II.

DE PERSONIS DIVINIS IN PARTICULARI.

ARTICULUS I.

QUENAM SPECIALIA NOMINA PERSONIS DIVINIS TRIBUANTUR?

389. *Dico I.* Prima Persona proprie dicitur Pater respectu secundæ Personæ; principium, fons, origo aut caput respectu Personarum secundæ ac tertiæ; quin et causa, vel auctor respectu earundem: Pater autem respectu creaturarum appropriative; fons, origo, radix, aut caput Deitatis tantum improprie.

Ratio primi. Scriptura hoc nomen ad designandam primam Personam usurpat sæpius, maxime autem Matth. 28. 19. *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti*: Fides autem docet Personam primam solam generasse Personam secundam, ac generare posse. Ratio secundi. Vocabulum primum ab ATHAN. Or. 1. cont. Arian., n. 14., BASIL. hom. 24. cont. Sabel. n. 4., AUG. L. 5. de Trin. c. 14., Conc. Lugdun. II. et Florent., reliqua vero a TERTUL. L. cont. Prax., ATHAN. Or. cont. Greg. Sabel., BASIL. hom. cit., AMBR. L. 4. de fid. c. 5. et aliis fuerunt attributa Patri: notio autem vocabulorum eidem convenit, tanquam a quo Personæ reliquæ suam ducunt originem. Ratio tertiæ. Utrumque nomen a plerisque Græcis; inter Latinos autem ab HILAR. LL. de Trin. ac de Synod.; et ab AUG. L. 83. QQ. q. 16. et L. 2. cont. Maximin. c. 5. et 14. Patri adscribuntur: Causæ etiam

vocabulum diserte in Decreto Unionis cum Græcis a Conc. Florentino probatur; utpote quod productionem sine dependentia significare possit, et sic principio æquivalet: quæ eadem ratio pro nomine *Auctoris* pugnat. Ratio *quarti*. Creaturarum productio, quæ ob naturæ diversitatem propriam generationis rationem non habet, est actio essentiæ et tribus Personis communis; appropriatur autem Patri sicut omnipotentia. Ratio *quinti*. Appellatio postrema, ab Auctore L. de divin. Nom. c. 2. et Conc. Tolet. XI. in Præf. prodita, solum convenit Patri, ut est principium Filii et Spiritus sancti; non autem, quasi ipsius divinitatis; hæc enim juxta Later. IV. nec gignitur, nec procedit. V. PETAV. de Trinit. L. 5. c. 4. et 5.

390. *Dico II.* Secunda Persona proprie dicitur *Filius, Verbum, Imago*; appropriative *Sapientia*: ad priorem classem revocari possunt *Species, Figura, Forma, Speculum, Character* etc.; ad posteriorem *Via, Veritas, Vita, Virtus*, et alia nomina secundæ Personæ in Scripturis nonnunquam attributa.

Ratio *primi*. Hæc omnia nomina indicant proprietates Filii personales ac relativas. Ratio *secundi*. Sapientia æque ac essentia, magnitudo, potentia, et hujusmodi prædicata, est communis omnibus, ut patet; et non est relativa, sed absoluta: unde Aug. hanc propositionem: *Pater est sapiens sapientia genita*, L. 1. Retract. c. 26. revocavit: speciale tamen convenientiam habet cum notione Verbi, utpote quod procedit per intellectum, cujus est sapere. Ratio *tertii* et *quarti*. Priora nomina metaphorica quidem sunt; sed ad exprimendam tamen *imaginem* usurpantur: posteriora autem sunt essentialia; sed cum Verbo analogiam quamdam habent. V. PETAV. L. 6. c. 1. 5. 6.

391. *Dico III.* Tertia Persona dicitur *Spiritus sanctus, Amor ac Donum*; et quidem proprie, si nomina accipiantur relative; appropriative autem, si absolute accipiantur. Postremi quoque generis sunt, *Fons vivus, Ignis, Unctio, Digitus Dei, et Paracletus*; quæ nomina in Scripturis sacris et libris Ecclesiasticis ubique prostant.

Ratio *primi*. *Spiritus* ut terminus spiratus, *amor* ut a voluntate productus, *donum* ut vi amoris procedens, propria et singularia sunt tertiæ Personæ: quod patet tum ex Matth. 28. cit., et 1. Joan. 5. 7. *Tres sunt qui testimonium dant in celo: Pater, Verbum et Spiritus sanctus*; tum ex ep. ad Rom., ut Hier. in Psal. 17. v. 1. commentans inquit: *Spiritus sanctus nec Pater est, nec Filius, sed dilectio, quam habet Pater in Filio et Filius in Patre. Unde Paulus Apostolus dixit: Caritas diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum*: tum quia, quod Christus Joan. 4. 10. *Si sciret donum Dei*, dixit de aqua, deinde Joannes 7. 39. exposuit de Spiritu sancto, ut Aug. L. 15. de Trin. c. 19. ostendit.

Ratio *secundi*. Juxta Joan. 4. 24. *Spiritus est Deus*, et 1. Joan. 4. 16. *Deus caritas est*; item ad Rom. 8. 32. Filius dicitur *donatus*; et Pater etiam, quod *dedit majus omnibus*, Joan. 10. 29. appellatur: unde Aug. L. 15. de Trin. c. 16. n. 37. inquit: *Hoc sanius creditur vel intelligitur, ut non solus Spiritus sanctus caritas sit in illa Trinitate, sed non frustra proprie caritas nuncupetur; sicut non solus est in illa Trinitate, vel Spiritus, vel sanctus;*

quia et Pater spiritus, et Filius spiritus; et Pater sanctus, et Filius sanctus, quod non ambigit pietas: et tamen iste non frustra dicitur Spiritus sanctus: cui simile aliquid de dono ad Spiritum sanctum appropriato ibid. n. 33-36. præmiserat.

Ratio *tertii*. Præter *Paracleti*, h. e. Consolatoris nomen, reliqua metaphorica, *Fontis* quidem *vivi*, diffusionem gratiarum, *Ignis*, efficaciam accendendi, purificandi et transformandi, *Unctionis*, vim sanctificandi et consecrandi, *Digitus Dei*, potestatem scribendi leges, ac virtutem operandi designant: quæ dotes et munia, sicut communia sunt Personis reliquis; sic, quoniam ad sanctitatem Ecclesiæ, Legis et animæ pertinent, Spiritui sancto appropriantur. V. PETAVIUM L. 7. c. 12. L. 8. c. 3.

392. *Observa.* Personæ primæ non tribuimus nomen *Genitoris*, sed *Patris*; quia priori voce communius relatio duntaxat prædicamentalis, vel via ad filium exprimitur: quorum *primum* vim generativam sequitur; *secundum* præcedit filium genitum; et hinc neutro in sensu propriam Patris notionem assequitur. Neque nomen *Initii* damus, sed principii; quia id in duratione primum indigitat, quæ prioritas, tanquam Arianorum error a Trinitatis mysterio abesse debet. Haud magis voces *Causæ* vel *Auctoris* usurpandæ sunt absque cautela; qua illic dependentia, hic subjectio excludatur. Phrasis Conc. Wormatiensis, qua *Pater fons et origo Trinitatis* appellabatur, sensu obvio falsa est; cum Patrem sui ipsius fontem esse non posse, abunde constet. Excusari tamen potest, si accipiatur simili modo, quo illa intelligitur, dicens, Adamum totius humani generis fuisse caput.

Quoad secundam Personam, vocabulo *Verbi* potius utimur quam *sermonis*; ad exprimendam scilicet cognitionis divinæ unitatem, ac simplicitatem, quam posterius, secundum etymologiam ex vocibus compositum, non exprimit. *Verbum* autem, non externum, et prolatitium, sed internum intelligitur: cui non obstat alia Patrum nonnullorum usurpatio, propterea quod non ad declarandam naturam, sed ad denotandam *Verbi* manifestationem, aut officium ea obtinuerat. Neque internum etiam *verbum*, ut mera cogitatio accipitur, sed ut terminus intellectionis productus, et subsistens; ne, ut Aug. L. 15. de Trin. c. 16. scribit, *aliquid esse quasi volubile credatur in Deo, quod non accipiat, nec recipiat formam, eamque possit amittere*. Cf. PETAV. de Trinit. L. 6. c. 4. et seqq.

Denique nomen *Spiritus sancti*, grammaticaliter commune reliquis Personis, usurpatur in sensu Theologico pro nomine tertiæ Personæ proprio, ex defectu termini aliter spirationem exprimentis; sicut ex eodem defectu productionem ejusdem Personæ, non speciali vocabulo, sed communi processionis indigitamus. Denominatio tandem *Amoris* et *Doni*, grammaticaliter etiam magis convenit tertiæ Personæ, quam reliquis; cum nec caritas, quæ est ad alium et duorum, in conceptu earum speciali deprehendatur: nec ratio doni aliter quam tropice Patri conveniat; vi processionis autem Filio per intellectionem producto neutiquam respondeat.

ARTICULUS II.

AN ET SUB QUÀ RATIONE COMPELLATIO INGENITI CONVENIAT SOLI PERSONÆ PRIMÆ?

393. *Nota.* Nulla fere circa primam in Trinitate Personam Theologis aut occurrit, aut visâ est examine digna difficultas, quam quæ de nomine *Ingeniti*, seu *innascibilis* movetur. Nomen hoc quoad litteras non extat in sacris elogiis, ut notat AMBR. L. de Incarn. c. 8. n. 80. scribens: *In Scripturis Ingenitum nusquam invenio, non legi, non audivi*; suspectum id etiam ATHANASIO Or. 1. cont. Arian. n. 30 et seqq., BASIL. L. 1. cont. Eunom. n. 5. (opp. t. 1. p. 215. A.), EPIPHAN. hæc. 73. n. 19. et 76. obj. 5. et aliis fuit ob ambiguum significationem; quin et ab iisdem repudiatum aliquando est ob Arianorum abusum, qui duce præcipue *Aetio* et *Asterio* sophista, significatione nominis vel diminuta, vel permutata, vel a Patre ad divinitatem translata, aut Filii divinitatem abolere, aut Trinitatem Deorum fidei Catholicorum imputare contendebant. Patres nihilominus tum iidem, tum reliqui una cum sequentibus Scriptoribus Ecclesiasticis, exposita melius, ac tandem determinata vocis significatione, id nomen tanquam characteristicum Patris prompte admiserunt, vindicarunt fortiter a cavillationibus, et abusu sublato constanter ac inoffense usurparunt.

Porro inter varias hujus vocis acceptiones tres erant præcipuæ. Sumebatur enim *Ingenitum* 1^o. pro eo quod *non est creatum* aut *factum* a principio extraneo; et græce ἀγένητον dicebatur: 2^o. pro eo quod *non est genitum*, seu per propriam generationem productum; et littera *v* geminata ἀγέννητον scribebatur: 3^o. pro eo quod *nulla ratione*, nequidem origine aut emanatione reali, est *productum*, seu caret quocumque principio. Postrema hæc acceptio propria est, de qua in præsens loquimur; sed etiamnum duplicem sensum habere potest, quatenus hujusmodi *Ingenitum* est *cum positiva repugnantia*, seu excludit omnem originem tam à se, quam a suo supposito, qua ratione brutum v. g. a sua specie excludit rationale; et hæc acceptio est antonomastica: vel quatenus est *Ingenitum sine* hujusmodi *repugnantia*, sed quasi *per indifferentiam*, sicut animal est irrationale; quia, quamvis animalitas ratione sui non dicat rationale, indifferens tamen est ad rationale, ac irrationale, et a rationali in speciem hominis contrahi potest. V. PETAV. L. 5. c. 1.

Percurrendo jam varias *Ingeniti* acceptiones aliunde certum est, *primum* *Ingeniti* modum congruere tam essentiæ divinæ, quam omnibus Personis: certum item est, excepta Persona secunda, modum *alterum* adeo reliquis non denegandum, ut etiam Adamo et angelis, quin et rebus aliis vita carentibus concedi debeat. Certum denique est modum *tertium per indifferentiam* tribuendum esse naturæ divinæ. An vero eadem *Ingeniti* ratio conveniat etiam Personis omnibus, et *Ingenitum antonomastice* sumptum divinæ naturæ, quæstio est ad dogma pertinens: ad quam magis dilucidandam subjungitur quæstio scholastica perquirens, quidnam vox *Ingeniti* in Patre formaliter dicat.

394. *Dico I.* *Ingenitum antonomastice dictum nec est de essentia naturæ divinæ, nec naturæ divinæ congruit.*

Prob. 1^a. p. Faustus Rheg. in ep. 16. sic inquit: *Genitus et Ingenitus significatio est Deitatis, non ipsa Deitas; naturæ est appellatio, non natura, Ingeniti ei geniti nuncupatio. Ad hoc valet ut quis ex quo subsistat intelligas, et non Patrem ex Filio, sed Filium ex Patre esse cognoscas... Genitus ergo et Ingenitus, et ex utroque Procedens personas indigitant, non naturas etc.*

Conf. Quidquid est de essentia naturæ divinæ, debet se habere vel per modum definitionis, vel instar generis, aut differentiæ, vel proprie aut substantive prædicari: sed *Ingenitum* 1^o. non est definitio Deitatis; cum tantum dicat quid non sit, non vero, quid sit; ac præterea cum divinitate non convertatur, ut CYR. ALEX. L. 31. Thesaur. (opp. t. 5. p. 261. E.) et 2. Dial. de Trin. latius edisserit; unde nec species dici potest. 2^o. Non est genus, aut differentia; cum prius de *Ingenito antonomastico* per se pateat; posterius autem non faciat differre a Patre essentiam, quæ etiam genito, scilicet Filio communicatur. 3^o. Nec est proprium; cum nequidem convenire divinitati, in altera parte ostendatur. 4^o. Nec substantive prædicari ostendit AUG. L. 5. de Trin. c. 7.

Prob. 2^a. p. BASIL. L. 4. cont. Eun. n. 3. (opp. t. 1. p. 286. C.) inquit: *Ingenitum si quis concedet de solo Deo dici, non statim si quid Deus, id est ingenitum: nam Filius cum sit Deus, ingenitus non est. Nec definitio igitur, nec proprium Dei est ingenitum esse: non enim convertitur etc.*

Conf. *Ingenitum antonomastice dictum* excludit a subjecto quamlibet processionem a principio, sive per productionem sui formaliter, sive per productionem alicujus suppositi, cui communicatur, vel de quo essentialiter prædicatur; sicut incorporeum, ut spiritui proprium, excludit corpus ab omni supposito, de quo spiritus prædicatur essentialiter: sed Deus hac ratione non excludit quamlibet processionem a principio: cum essentialiter prædicetur de Filio, qui gignitur; et de Spiritu sancto, qui procedit: ut adeo, propter communicationem sui cum his suppositis productis, a Patribus etiam aliquando dicatur *essentia genita* vel *nata*, aut *procedens*; ergo.

395. *Dico II.* Patri in Divinis soli *Ingenitum antonomastice* tale est proprium.

Prob. 1^a. p. Patres communi suffragio hoc prædicatum primæ Personæ attribuunt: sic ALEXANDER Ep. Alex. in ep. ad Constantinopolitanum scribit (Labb. t. 2. p. 49. D.): *Unus est ingenitus Pater*; NAZIANZ. Or. 25. n. 16. *Patris proprietas hæc est, quod ingenitus sit*: FULGENT. ad obj. 7. Arian. *Ingenitus Pater nunquam in Scripturis canonicis legitur, et tamen secundum fidei veritatem ingenitus prædicatur etc.*

Conf. Imprimis aliqua in Trinitate Persona debet esse *ingenita*; cum alias vel sui ipsius vel mutua duarum productio daretur; si quamlibet oporteret esse productam ab aliqua Persona: vel Persona realiter distingueretur a Deitate; si qua ab essentia divina produceretur. Deinde non potest esse *ingenita*, nisi *una*; quia alias etiam forent plures Dii, cum natura divina non communicetur, nisi per productionem Personæ, ideoque numero saltem distincta natura existeret in distinctis Personis: quin infinitæ sequerentur Personæ; cum ratio Trinitatis jam nulla foret, et multiplicata semel Divi-

nitas nullos patitur limites. Demum alia præter Patrem Persona non est ingenua, ut statim probabitur. Tandem convenit Patri esse ingenuum; cum non procedat ex Filio, cujus ipse est Pater; nec a Spiritu sancto, cujus est cum Filio principium: neque a natura divina producitur, vel realiter emanat; cum præter distinctionem realem, quæ inde naturam divinam inter et Paternitatem sequeretur, divina natura aliquid notionale, scilicet emanationem paternitatis realem haberet, quod Personis non communicat. Ergo Ingenuum Patri proprie convenit.

Prob. 2^a. p. Testantibus Patribus nec Filius nec Spiritus sanctus est proprie, multo minus antonomastice, ingenuus. Nam HILAR. L. 2. de Trin. n. 11. inquit. *Ab uno ingenito Deo unus unigenitus Deus; non Dii duo, sed unus ab uno; non ingeniti duo: quia natus est ab innato;* FULG. ad obj. 5. Arian. *In duobus ingenitis diversa divinitas invenitur: in uno autem genito ex uno ingenito naturalis unitas demonstratur;* CONC. SYRMEN. Can. 19. ap. HILAR. L. de Syn. n. 38. definit: *Si quis Spiritum sanctum paraclitum dicens, innascibilem Deum dicat, anathema sit;* et CONC. TOLET. XI. in præfat. (Lab. t. 6. p. 541. E.) *Spiritus sanctus nec ingenitus nec genitus creditur etc.*

Conf. Ingenuum hactenus usurpatum excludit productionem quæcumque realem: sed Filius, utpote genitus, et Spiritus sanctus, tamquam procedens, productionem realem dicunt, non excludunt; ergo.

396. *Dico III.* Ratio Ingenui convenientis Patri; juxta communem SS. Patrum phrasin, formaliter significat meram negationem omnis productionis, fundamentaliter aliquid positivum excludens productionem, quod est paternitas, saltem secundum conceptum inadæquatum.

Prob. 1^a. p. Ingenuum imprimis formaliter non significat aliquid positivum; quia juxta ATHAN. DIAL. 2. de Trin. n. 19. *Nos dicimus ingenuum significare non esse genitum, quoad substantiam, quemadmodum mendacii expertem esse non mentiri, quoad substantiam.* NAZIANZ. Or. 29. n. 11. *Vox ingeniti significat generationis expertem, non autem declarat, quidnam natura sua sit id quod generatione caret;* et juxta AUG. L. 5. de Trin. c. 6. *Cum vero ingenitus dicitur Pater, non quid sit, sed quid non sit dicitur.* Deinde negat omnem productionem, dicente BASIL. L. 1. cont. Eunom. n. 15. (opp. t. 1. p. 237. B.): *Vox ingenitus, non quid sit, sed eum ab alio non esse significat;* et CONC. TOLET. XI. profitente (p. 541. A.): *Patrem non genitum, non creatum, sed ingenuum profitemur; ipse enim a nullo originem ducit.* Denique tantum negat, ut docet AUG. L. 5. de Trin. c. 7. scribens: *At si quantum valet quod dicitur filius, tantumdem valet quod dicitur genitus: tantumdem ergo valet quod dicitur non genitus quantum valet quod dicitur non filius..... Ingenitus porro quid est, nisi non genitus?* Ergo Ingenuus formaliter significat meram negationem omnis productionis.

Prob. 2^a. p. Negatio per Ingenuum importata provenit ab intrinseco Patris, nec est mera dumtaxat conceptus extrinseci inficiatio; est incommunicabilis Personis aliis, indicat specialem dignitatem Personæ primæ, ratione distinctam a dignitate Patris: atqui quod ab intrinseco rei provenit, dicit aliquid positivum, et in eo fundatur: quod est incommunicabile, ratione affirmativi communicationem excludit: quod dignitatem indicat, perfectio-

nem, qualis mera negatio non est, inducit aut supponit; ergo ingenuum ac ejus negatio in positivo, affirmativo et perfectione fundatur, seu ea fundamentaliter significat.

Prob. 3^a. p. Nihil positivum est in PATRE præter essentiam et relationes tum Paternitatis, tum Spirationis: sed fundamentum negationis, quam Ingenuum formaliter dicit, non est essentia; cum hæc communis sit tribus Personis: neque spiratio activa; cum eadem, vel inadæquata, similiter sit in Filio; ergo debet esse Paternitas, tum quia præter hanc nihil positivi in Patre superest; tum quia hæc constituit principium originis primæ, seu ante quam non potest esse origo; adeoque ex intrinseca ratione sua exigit esse ante et extra originem.

Prob. 4^a. p. Si Paternitas secundum ea, quæ in se complectitur, concipiatur conceptibus inadæquatis, potest spectari vel secundum explicatam rationem generativi, quam dicit ad Filium, vel secundum implicitam rationem sufficientis sibi ipsi seu ad suum esse: sed Paternitas secundum rationem generativi quam dicit ad Filium, non est fundamentum negationis ab Ingenuo significatæ; cum negatio hæc possit esse sine Paternitate, et Paternitas sine hac negatione, ut non solum Theologi ex AUG. L. 5. de Trin. c. 6. et EPIPHAN. hæc. 76. ad confut. c. 5. Aetii colligunt, sed et Gentiles in sua Theogonia produunt; ergo debet esse secundum rationem sibi ipsi sufficientis.

Dixi: Juxta communem Patrum phrasin. Cum enim Aetius et Eunomius Ingenuum esse privationem generationis docerent, privativum autem in reali entitate reponerent, ut inferrent naturæ divinæ essentiam repugnare Filio, tanquam genito; Patres ad hanc sequelam avertendam Ingenuum in negatione, et quidem mera, formaliter constituerunt. Hoc tamen non impedit, quominus exposita Ingenui significatione, Theologi jam Ingenuo attribuant gradum privationis saltem infimum, quo negetur forma h. e. productio in subjecto, cujus rationi genericæ aut communi, qualis in Divinis est natura, non repugnat habere eam formam, quamvis repugnet rationi specificæ aut singulari, qualis hic est persona Patris: præsertim cum juxta BASIL. L. 1. cont. Eun. n. 10. (opp. t. 1. p. 223. B.), non repugnet Ingenuum dici sive ablativum, sive exclusivum, sive negativum, et NAZ. Or. 29. n. 12. dicat: *Ingenuum et genitum sibi opponuntur, ut habitus et privatio.* Neque etiam prohibet Ingenuum accipi formaliter positive, seu sub ratione formæ excludentis productionem passivam, et non sub ratione exclusæ productionis passivæ, sicut accipi solet immensitas, infinitas, immutabilitas et similia; sub quo conceptu Ingenuum formaliter consistit in positivo, connotante negationem in obliquo.

397. *Observa.* Præ natura divina, ut diximus, habet PATERNITAS, quod sit ingenua cum repugnantia productionis, sed præ Paternitate habet NATURA DIVINA, quod nulla ratione ab altero emanet; dum e contra Paternitas, quamvis a natura non emanet realiter, tamen secundum nostrum intelligendi modum inde emanare concipiatur. Nam 1^o. ubi est natura substantialis, per se etiam est personalitas illi connaturalis. Natura hæc secundum rationem prior est sua personalitate; sicut commune proprio, subjectum modo, materiale formali, saltem intentionaliter præsupponitur. 2^o. Eadem

natura sufficiens et proximum fundamentum est suae personalitatis; cum si illa producat vel fiat, eadem actione ista etiam ponatur: ideoque naturae existentia quaecumque sit determinativum personalitatis. Quod vero ratione posterius est, et fundatur in altero, secundum rationem ab illo emanat; ergo a natura divina secundum nostrum concipiendi modum emanat saltem aliqua personalitas.

Cur autem ex tribus personalitatibus, quas ob naturae fecunditatem fides in Divinis docet, PATERNITAS sola sit illa quae intentionaliter emanet, breviter ita colligitur: inter plures personalitates ea videtur sic emanare, quae est magis connaturalis Deitati: ea videtur magis connaturalis, quae modum existentiae conformem cum natura h. e. ascitatem habet: ea modum existendi a se obtinet, quae a nullo principio producit: ea nullatenus producit, quam origo vel via productionis nulla praecedat: eam via hujusmodi non praecedat, quae ipsa primam originem ac productionis modum exercet erga personalitatem aliam: atqui hoc praestat PATERNITAS respectu Filii, quem per intellectionem, seu primam immanenter agendi rationem, producit; ergo PATERNITAS immediate et intentionaliter emanat a divina natura. Accedit, quod personalitates aliae realiter producantur vel adaequate vel inadaequate a Patre, et hinc secundum rationem emanare solum a natura nequeant.

ARTICULUS III.

EX QUARUM RERUM COGNITIONE PROCEDAT SECUNDA PERSONA?

398. *Nota.* Equidem secunda in Divinis Persona convertibiliter dicitur *Filius* et *Verbum*: haec tamen omnia non sunt synonyma. Nam relatio Filii diserte enuntiat ordinem viventis a vivente in similitudinem naturae; Verbi autem relatio magis explicite prodit ordinem procedentis a dicente. Multo minus synonyma sunt intelligere, ac dicere, seu loqui. Prius enim simpliciter enuntiatum solam habitudinem denotat ad objectum cognitum; quae praecise stat in tendentia vitali ad objectum sine ratione originis, et hinc solum grammaticalis est actio: posterius vero importat habitudinem ad verbum prolatum, seu concipiendo productum. Quare dum vel verbum Psal. 32. 7. sumitur pro imperio intellectus, aut decreto voluntatis, vel dicere, aut loqui Gen. 1. 26., Psal. 148. 5. et 6., et apud ANSEL. in Monol. c. 30. 40. 60. pro intelligentia, aut iudicio communi, aut consensu accipitur; ubique improprie usurpatur.

Quamvis autem ex eodem capite *intellectio* essentialis non sit formaliter ipsa dictio, seu locutio; tamen supponitur vel ad eandem pertinet: sicut quamvis intellectus non sit principium quo formale proximum, tamen tanquam principium potentiale ac remotum ad generationem Verbi spectat: ut adeo actio *active* sumpta dicatur cognitio notionalis importans relationem verbi, seu producti a dicente. Ex quibus intelligere datur, varias phrasas a Patribus in hoc argumento usurpatas. Nam solus *Pater* in Divinis proprie loquitur; quia solus Verbum producit: loquitur *Verbum* ut objectum, et ut terminum locutione productum: loquitur per suam *proprietaem*, velut per os et facultatem locutivam; cum illa sit principium quo formale proximum: loquitur *soli Filio*; quia is solus per Verbi productionem red-

ditur intelligens: loquitur etiam Verbo ut *personae*, cui manifestat Verbum ut cognitionem: loquitur denique per *Verbum*, inadaequate sumptum, sive pro locutione et generatione passiva, sive pro essentia communicata, tanquam manifestativo formali.

Porro praeter relationem *originis* realem hactenus memoratam, in verbo et dictione non minus, ac in cognitione invenitur alia adhuc relatio, scilicet *rationis*; quae est representatio objecti, seu ordo verbi ac dictionis ad objectum representatum. Atque de hoc objecto hic quaeritur, quale sit respectu cognitionis notionalis illius, ex qua Persona secunda tanquam *Verbum* procedit. Circa quam quaestionem imprimis observandum est, objectum hujusmodi duplicis esse generis: aliud *divinum*, quod complectitur essentiam, attributa, et relationes divinas; item cognitiones et decreta Dei, tum necessaria, tum libera: aliud *creatum*, quod complectitur possible et futura, seu absoluta, seu conditionata.

Deinde cognitionem Dei, utpote essentialiter perfectissimam, esse comprehensivam et intuitivam rerum omnium cognoscibilem; posse tamen, secundum nostrum intelligendi modum et objectorum distinctionem, concipi aliquem cognitionis divinae ordinem pro *signis originis* ad Filium, seu Verbi productionem, ita ut in *primo* comprehendatur essentia cum attributis, ideoque videatur esse radix trium Personalitatum secundum originem, et creaturarum secundum causalitatem: in *secundo* ex utriusque comprehensione cognoscatur emicare virtus generativa Verbi, qua Pater constituitur, et jam ut existens proponitur: in *tertio* conspiciatur Verbum jam ut ex virtute illa generativa existens: in *quarto* videatur etiam Spiritus sanctus ut ex Patre et Filio existens, et sic natura divina jam ut perfecte in tribus Personis subsistens intelligatur: in *quarto* habeatur scientia media reflexa: in *quinto* scientia media directa ponatur: in reliquis decreta Dei libera et scientiae illa excipientes sequantur.

Denique Verbum posse procedere ex cognitione objectorum, vel per se ac formaliter, vel per accidens tantum et concomitanter. *Primum* fit, si cognitio tanquam ratio formalis conducat ad Verbi productionem: *secundum*, si cognitio non ita conducat, licet identice ac realiter ad eandem concurrat; sicut cum proportione realitas dicitur conducere ad ratiocinationes, animalitas autem non conducere tanquam ratio formalis; unde

Tandem *sensus quaestionis* est, quanam ex objectis, sive divinis sive creatis, attingat cognitio, quam Pater divinus in signo priori originis ad Filium seu productionem Verbi habet? sive ex quorumnam objectorum cognitione Verbum procedat sive *formaliter* et per se, sive *concomitanter* et per accidens? De cognitione essentiae divinae tanquam formali ratione processionis nemo est qui ambigat: de cognitione aliorum non tam diversitas sententiarum videtur, quam difficultas subtilitatis metaphysicae; in qua ad apices discutienda cum non appareat vel necessitas, vel tanta utilitas, quaestionem brevibus duntaxat assertis resolvemus.

399. *Dico I.* Verbum divinum per se procedit ex cognitione attributorum et trium Personarum.

Prob. Quod procedit *per se* ex intuitiva et comprehensiva cognitione essentiae divinae, per se procedit ex cognitione attributorum et Personarum